



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 27. Ejusdem gesta variis in locis & procuratione Romana.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

Millanus Garcia creditus est caelitus cognovisse Joannem Romerum, non Mexicana, sed Peruanæ Provinciæ à Deo destinatum esse: quod cum ei significasset, lubens volensque missi Majorum, cum Ferdinando Mendoça Societatis nostræ Sacerdote, Marchionis Caniëntensis Peruvia Proregis fratre, in Australem Americam navigavit. In Itinere, Proregis amorem sibi inde conciliavit, quod vectores ferventissimis concionibus & alloquiis ad pia officia pæne assiduus animaret. Limæ adeo laudabili fama concionatus est, ut Torribius Archiepiscopus nondum Sacerdotem audire voluerit, auditæque ejus concione Societati se magis benevolam, quam antea ob subortam litem fuerat, ostendisse fertur.

**A**NNO sesquimillesimo nonagesimo-tertio in Tucumaniam Paraquariamque missus, Sociis in utraq; regione degentibus, per quatuordecim annos ante foundationem Provinciæ integrâ laude præfuit. Tucumania Prætorum adeo propensum in se habuit, ut juberet ejus gratiâ e suo penu quidquid Socii postulare sine computu ministrari. Episcopus Tucumanensis, dignitatis suæ oblitus, Romerum infimis & summis gratissimum tantum non venerabatur. In fundationibus domorum per Tucumaniam Paraquariamque omnia proclivia expertus est. Varias Barbarorum nationes, devoratis eorum idiomatibus, & permentis difficillimis itineribus, aditisque sæpe inter rebelles & alios populos discrimibus, æquali fructu ac labore excoluit. Anno hujus sæculi octavo pro Paraquariâ Provinciâ nuper fundatâ procurator Romam missus, ab Rege Catholico impetravit renovari diploma, quo Socii omnes inter Indos degentes sumptibus Regis ali jubebantur. Ullispone cum selecto subsidiariorum manipulo navim æger conscensurus, cum moneretur à medicis & Lusitanis Patribus, ne se ancipiti periculo committeret, sed vicibus suis alteri traditis valetudinem in Europâ curaret; respondit, minus damnosam fore mortem suam, quam si ansam præberet aliis Indiarum procuratoribus, quavis arreptâ occasione, in Europâ remanendi: & se pro emolumento suæ Provinciæ lubenter cuivis periculo vitam suam expositurum. Ad portum Boni-aëris feliciter appulsus, novæ sedis inibi positæ, & sequenti anno Collegio Esterensî; interjecto verò tempore Collegio Sancti Jacobi in Chileno regno præesse jussus, ubique singularis prudentiæ specimina dedit. Ludovico Valdiviâ in Europam revocato, ad Conceptionis urbem translatus, Collegium & sedes ei subcensitas rexit. Donec novæ Vice-provinciæ gubernandæ onus subiret. Quo in munere triennio exacto, ad regendam Provinciam Paraquariensem accersitus, senium & valetudinem excusans, quiete impetratâ, ad imminentem mortem piè obeundam se comparavit.

**S**I munia obita & virtutes spectes, non ultimum illi inter illustres Societatis Heroës locum assignabis. In concionibus non speciosa sed nervosa sectabatur. Hieronymus Florentia, Madriti auditâ ejus concione, pronunciavit Joannem Romerum normam esse posse bonorum concionatorum. In Assumptionis urbe, & alibi, de Divinis rebus disserens, ob profundissimas lacrymas sibi & auditoribus obortas, concionem abruptè coactus est; adeo perseverante fructu, ut viri sceminaque e templo egressi urbem gemitibus impleverunt. Multa præter ordinem impetrasse, fuis ad Deum precibus, creditus est. Ignem e vicinis campis agro imminentem oratione stitit. In immensâ centum leucarum solitudine ab Sociis devians, implorato Superiorum auxilio, repente in viam reductus est. Juvenem in ultimo agone conscientiam suam expiare pertinaciter renuentem, prolatis his verbis. *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere ei.* flexit ad poenitentiam. Didacus Ulloa in Calloanâ Peruvia arce præfectum agens, auditis Joannis Romeri facinoribus, quamvis quingentis leucis abesset, sensit desiderium conscientiam suam apud eum deponendi; non vano sensu: nam non diu post Prætorum Chilensem eo tempore adeptus, quo Conceptionis Collegium ipse regebat, in ultimo morbo adiutorem expiatoremque habuit. Animum plerorumque Hispanorum in Sancti Jacobi urbe, ob servitiæ personalis negotium ab Societate averlos,

CAPUT  
XXVI.  
Ejusdè gesta  
in variis locis,  
& procuratore  
Romana.

Aditus Barbarorum linguarum discis.

Vocatio  
Indiæ amor

CAPUT  
XXVII.  
Reliquæ  
Joannis Romeri  
exercitationes  
& virtutes.

Fructus  
concionatur.